



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 8. Ad quid tenetur Judex circa pœnæ impositionem?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

injustam, quam putabat justam, si ante tempus præscriptioni requisitum, cognoscat fuisse injustam, restituere tenetur accepta, non tamen impensas nec fructus bona fide consumptos, saltem si iis non sit factus ditior. Quòd si ea possedit bonâ fide toto tempore ad præscribendum sufficienti, non tenetur restituere, quia legitimè præscripsit.

Sententia tamen injusta servanda est, quantum requiritur ad vitandum scandalum, perturbationem, & incommoda graviora. Nec licet per vim se defendere contra judicem & ejus Ministros, cum servatus est juris ordo: quia Judex habet Jus exequendi sententiam, quam servato juris ordine tulit. Imo nec id licet in praxi, si non servatus sit, quando inde perturbatio vel scandalum secuturum est, ut plerumque fit.

*Q. 8. Ad quid tenetur judex circa pœnæ impositionem?*

*Resp.* Ex communi, si lex pœnam imponit, tenetur Judex factâ sufficienti probatione crimen declarare, & pœnæ per legem impostæ executionem procurare: si vero lex minetur tantum pœnam, tenetur Judex eam imponere, & executioni incumbere: nam Judex est minister & executor Justitiæ à Principe vel rep. constitutus, ad curandum ut serventur leges, & puniantur crimina; unde ex officio ei incumbit custodia & executio legum & puni-  
nitio

nitio criminum. Quare non potest remittere pœnam lege statutam, nisi in casibus jure expressis aut consuetudine receptis; nam inferior non potest dispensare in lege Superioris. Deinde est contra bonum commune, quòd delicta maneant impunita, aut non satis punita; nam est moralis occasio ut multiplicentur. Imo ipsi supremo Principi non licet condonare crimina, nisi aliquando ex justa causa: alioqui occasionem præberet patrandi crimina, & his cooperaretur, cum maxima peccandi illecebra sit impunitas, sicque magnum reip. damnum inferret. Judex verò nequidem potest minuere pœnam, etiamsi actor consentiat, nisi quando delinquentis ætas, infirmitas, vel modus delinquendi gravitatem criminis minuens, aut justa aliqua ratio id postulat, vel id ad bonum commune dicat epichia. Item non ei licet, saltem ordinariè, augere pœnam lege statutam; alioqui injuriam inferret reo, à quo majorem pœnam exigeret, quam ex lege deberet: nam, lex pœnam statuens eo ipso Judicis potestatem restrinxit ne graviolem imponeret. Aliquando tamen potest augere pœnam propter extraordinarias circumstantias, quæ crimen multum aggravent, ut si crudelissimo genere mortis patratum, fuisset homicidium, &c. Quia lex statuens pœnam, loquitur de delictis ordinariis, seu ordinario modo patratis, nec excludit judicis providentiam,

tiam, quantum ad bonum commune, & aliorum exemplum necessaria est.

§. II.

*De Accusatore.*

**N**Ota. Accusator & Denuntiator inter se differunt. Nam accusare est deferre crimen judici ad vindictam ob bonum commune, cum obligatione crimen probandi: denuntiare verò est deferre crimen præcipuè ad emendationem Rei, vel ob bonum commune sine obligatione illud probandi.

*Q. I. An & quis tenetur accusare vel denuntiare?*

*Resp.* Ex communi, qui ad hoc deputati sunt, vel stipendium accipiunt à rep. ut Fiscalis & Custodes ac vigiles tenentur ex Justitia deferre crimen, ac proinde ad damna ex omissione delationis secuta. Item Custodes agrorum, nemorum, &c. saltem quantum necesse est ad vitandum damnum Domini, vel illatum reparandum: nam ad id tenentur ex officio; & contractus seu quasi contractus intercedit inter eos & rep. seu communitatem ut ad id teneantur. Alii verò privati accusare seu potius denuntiare tenentur, etiam citra superioris præceptum, quando crimen est noxium reip. & adhuc pendet in futurum, vel continuandum putatur, ut hæresis, proditio, falsæ monete